

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2019-2020

À rendre pour le jeudi 2 avril 2020

### **Version confinée n°5 : la jalousie pousse au crime**

*Où le poète se rappelle avoir fait grief à sa maîtresse de ses infidélités, et où il conseille au lecteur, exemple mythologique à l'appui, de ne pas être trop possessif.*

*Longueur LC : intégralité. Longueur LM : à partir des crochets.*

[Non semel hoc uitium nocuit mihi ; doctior ille,  
quo ueniunt alii conciliante uiro.  
Sed melius nescisse fuit ; sine furta tegantur,  
ne fugiat ficto fassus ab ore pudor.  
Quo magis, o iuuenes, deprendere parcite uestras ;  
peccent, peccantes uerba dedisse putent.  
Crescit amor prensis ; ubi par fortuna duorum est,  
in causa damni perstat uterque sui.]  
Fabula narratur toto notissima caelo  
Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.  
Mars pater insano Veneris turbatus amore  
de duce terribili factus amator erat,  
nec Venus oranti (neque enim dea mollior ulla est)  
rustica Gradiuo difficilisque fuit.  
A ! quotiens lasciua pedes risisse mariti  
dicitur et duras igne uel arte manus !  
Marte palam simul est Vulcanum imitata. Decebat,  
multaque cum forma gratia mixta fuit.  
Sed bene concubitus primo celare solebant ;  
plena uerecundi culpa pudoris erat ;  
indicio Solis (quis Solem fallere possit ?)  
cognita Vulcano coniugis acta suae.  
Quam mala, Sol, exempla moues ! Pete munus ab ipsa ;  
et tibi, si taceas, quod dare possit, habet.  
Mulciber obscuros lecto circaque superque  
disponit laqueos ; lumina fallit opus.  
Fingit iter Lemnum ; ueniunt ad foedus amantes ;  
inpliciti laqueis nudus uterque iacent.  
Conuocat ille deos ; praebent spectacula capti ;  
uix lacrimas Venerem continuisse putant ;  
non uultus texisse suos, non denique possunt  
partibus obscenis opposuisse manus.  
Hic aliquis ridens : « In me, fortissime Mauors,  
si tibi sunt oneri, uincula transfer ! » ait.  
Vix precibus, Neptune, tuis captiua resoluit  
corpora ; Mars Threcen occupat, illa Paphum.  
Hoc tibi perfecto, Vulcane, quod ante tegebant,  
liberius faciunt, et pudor omnis abest ;  
saepe tamen demens stulte fecisse fateris  
teque ferunt artis paenituisse tuae.

Ovide